

**Diathkn Tn Ap'Ainos, hoc est, Constitvtionem Emortvalem A Secvlo : ex Genes.
II, 17.**

[Altdorf]: Meyerus, [1701?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870436422>

Druck Freier  Zugang





49. d. 50

50

Fa - 1092 (50.)



1. Christ. Sigism. Georgii disp. qua discolutio inuicem a Abraha in Gen. in Libra S. V. P. ad manen renouatur. Witeb 1737.
2. An. Frider. Wertheimianus iudicialis Theologiae Moscaicae aduersus fatopr. Wertheimianens. Lips 1737.
3. Christ. Sonnleijer de constitutione emortuali a Saulo ad Gen. II. 7. Witeb 1702.
4. Berah. Hinc. Brückler de Caino a DEO iniuste irae comitis. ad Gen. 11. 7. Jen 1727.
5. Jo. Christ. Ortkobius de signo Caini ad Gen. II. 15. Lips 1711.
6. Joh. Wich. Hilligerus de homicidio et uindicta Lanawhi ad Gen. II. 26. Witeb 1673. olis
7. Abrah. Krieger de annis ante deluuium mortalibus a DEO tribatis ad Gen. VI. 3. Lips 1736.
8. Jo. Guil. Paschius triar quaeptio nūm ad deluuium pertinetium Helopii 1710.
9. Gottl. Eckstein de speculo ad Gen. XII. 27. Witeb 1678.
10. Joh. Lambertus de statua Salis et Lothi ad Sodomam egre. ad Gen. XIX. Helms 1674.
11. Lud. Bernh. Kemna de vera ipsius DEI apparitione ad Gen. XXXI. contra Joh. Wertheimianens. Lips 1738.
12. Aug. Pfeifferus de Teraphim ad Gen. XXXI. Witeb 1669. 1672
13. Joach. Ehrenf. Pfeiffer de milo moralis ob diuinam ad bonos fin et directionem ad egre. ad Gen. II. 21. Jen. 1737.
14. Abh. Hen. Verpoortenius de beato Domini in Amalech ad Gen. XII. 8-16. Jen 1736.
15. J. Guil. Langius et San. Gottl. Krügerus de juce vitae ad Gen. XII. 20-26. epre quae an non. Hal 1733.
16. Joh. Trifahnuthus disp. an Hebraei statuas DEI in finis esse perp. ad Gen. XII. 8. Jen 1658.

17. Ben de Propheta Moysi per ad Deut. XVIII. 15. Jen. 1665.
 et. Lud. Christo. Hofer de questione: an liceat in bello fructifere
 rar arbores effundere. ad Deut. XX. 19. Lipf. 1708.
18. J. Trifhemuth disf. ad Deut. XXIII. 2. Aff. 2. Deut. XXI. 7. Mat.
 11. 5. 6. Joh. XVII. 7. quibus Forcum et Refamud Dorb.
 res Muhamedeni oculi nominis et Deo promiffa fuiffe
prophetam probare fatagunt. Jen. 1665
19. Stanh. Calovii Paralyponem ad Arctata Anti gratiana ad
Carthum Musi Deut. LXXV. 10. & XXXIII. Witeb. 1660.
20. Theod. Hofer de Jephthura ad Deut. LXXVI. 15. Brem. 1790.
21. J. Christo Wulfius de apparatu Philafacorum belgias
 ad 1. Sam. XIII. 15. Witeb. 1711.
22. Joh. Fried. Lazarus de iusta populo Israclitico ab He.
ruicam refufentis caufa Kil. 1737.
23. Franc. Wolkenius de praecipuis criticis in Job. lectione cur
tandis Witeb. 1737
24. Geo. Henr. Gottz cologa cum Lutheri librum Job. cum
Tarenti Scriptis et Virgili Aeneide contulit Lipf. 1700.
25. Franc. Wolkenius de integritate textus originalis Jobi contra Ele.
nium viadicata Witeb. 1732.
26. J. Helv. Willcanem de ofculo fili in 11. 12. Witeb. 1670
27. Joh. Cons. Schramm de optato muncis Chrifti epitu ad 11.
XVI. Witeb. 1727.
28. Andr. Sennartus de quodam corpore Chrifti in exue
exfructi ad 11. XVI. Witeb. 1738.
29. Andr. Sennartus de cruce craticorum Witeb. ad 11. XXII. 17.
Witeb. 1670.
30. Progr. de angelo Dorini Caftrometore. ad 11. XXXIII. Witeb.
1728.
31. Progr. de pluma pentecoftali ad 11. XXVIII. d. 9. 10. 11. Witeb. 1705.
1728.
32. Joh. Christo Wulfius de infucate pitatis felicitate ad 11.
LXXXIV. 15. Lipf. 1707.

34. Jo. Phil. Meißner de duemio meridiano ad J. XCI. 6. Regionem
1679.
35. Seb. Jod. Strubbe de Christo de torrente in via vivente
et regni exactante ad J. CX. 6. Ligg. 1670.
36. Jo. Laur. Moskenius de officio Christiani circa defensionem vi-
tae alienae ad Prov. XXII. 11. 12. Holsuff. 1738.
37. Ben. Jod. Clauvitz de nimis infirmitate et improbitate
Salomonis ad Eccl. VIII. 16. 17. Ligg. 1721.
38. Jo. Guis. Paicrus de agri cultura ad Ecclesiast. XI. 1. 3.
Act. 1707.
39. Franc. Wittenius de superioribus exortibus Bethel. Seddonis
Palthsebae, Syndri et Salomonis. Elogio in Loh. XII. 1-19.
Witres 1750.
40. Jo. Fischmuth de Evangelio sine exordio ad
Jes. II. 1. Jan. 1669.
41. Jo. Jac. Lauterius de virgine filio Immanuel.
Jey 1710.
42. Jo. Just. Kistner de sepulchra Christi ad Jes. LIII. 9.
Kint. 1699.
43. Jo. Schmidt de continentia in vita aeterna Jerem.
ad Jer. LXVI. 23. Rigg. 1721.
44. Jo. Fredr. Mejerus de Idolatria Judaica Populistica
Idolatriae commentario ad Jerem. II. 27. Ligg. 1670. res!
Witres 1709.
45. 46. Theod. Dafforius de Rabbinitate Philologiae Graecae anal-
XI tante. Witres 1674 ad Jer. CXIII. 5. 6.
47. Jo. Christi. Heemnius de prophetia visionibus Jerem.
elis ^{cont. de hebraeo} ~~elis~~ ^{sub} 1735.
48. Adum Reckenbergius de Rep. No. 9. 1. 2. Cret. ^{elis} ad
Cret. II. a. Ligg. 1710.

49. Jo. Weisenbordinus De anima pro anima ad Erck. II. 17. 10. 11
Jan 1699 reimp.
50. Christo maack Agrippus de ~~xxx~~ hebdomadibus Danielis
Feb. 1794.
51. Jo. Trifchmuthi demonstratio, qua Messias primum secundum
computum Danieli Cap. 12. apparuisse cernitur Jan 1690.
52. Gotth. Er. Museum de deificatione Christi cum Christianis
mythica ad Aug. II. 19. 20. Aug. 1711.
53. Gottlieb Gerhardus de divinatione ex baculo ad Aug. II. 12
Aug. 1700.
54. Jo. Reinh. Agrippus de Christo gloria temporis posterioris
maiori, quam fuerat prius ad Aug. II. 9. Jan 1757.
55. Jo. Trifchmuthus de adventu Esiae ad Malacchi II. 5. 6. Jan.
1659.

ΔΙΑΘΗΚΗΝ ΤΗΝ ΑΠ ΑΙΩΝΟΣ,

hoc est,

CONSTITVTIONEM
EMORTVALEM
A SECVLO.

ex Genes. 11, 17.

ALTDORFI IN AVDITORIO THEOLOGORVM

d. 18. Augusti MDCCL.

piæ & placidæ συζητησεῖς exponent

PRÆSES

CHRISTOPHORVS **Sonntag**
SS. THEOL. D.

Ejusdemq; primarius & Græcæ Lingvæ Professor,
nec non Ecclesiæ oppidanæ Antistes,

RESPONDENS

JOH. NICOLAUS AMMON,
Schwobac. Francus.

Literis HENRICI MEYERI, Univerfit. Typographi.

CONSTITUTIONEM
L. M. O. R. T. V. A. L. I. E. M.

ALDORFEN V. D. O. T. H. E. O. L. O. G. O. R. V. M.

CHRISTOPH. W. ...

NON ...

MEMORIA-AD DVO CVM PRIMIS ATTENDERE HIC IVBET
 LE I.) EXEGESIS, PARTIM, QUID SIBI VELIT NOMEN
 EXEGETI- ARBORIS SCIENTIÆ BONI ET MALI, PARTIM,
 CVM. QUID INNVAT EMPHATICVM AC DVRVM
 ISTVD MORTE MORIERIS.

§. 1.

Arborem istam a posteriori sive effectu ita dictam esse, eo, quod Protoplastis eheu! experimentalem boni & mali notitiam attulerit, communis interpretum est explicatio. Chaldaus: כל מן האכל מניה מפרש בין טוב וריש; *omnis, qui de ea comederit, distincturus est inter bonum & malum.* Josepho & Zonara arbor Φρονήσεως audit. Cujusnam fuerit speciei, varie a variis disquiritur. Ficum nonnulli fuisse, ficulneo argumento colligunt ex eo, quod post lapsum ficulneis sese texerint Protoplasti. Alii pomum ex Cant. IIX. v. 9. *Sub ipsa malo expergefacio te, ubi enixa est te mater tua;* & quidem Limoniam; quæ proinde poma Adamica, morsu notata, ferat. Alii Citream; alii alius speciei. Enimvero quam ignotum, cujus speciei; tam certum est, veram arborem fuisse. Id quod 1) vocabulum γγ, lignum generaliter, synecdochice arborem notans; 2) fructus, ab amœnitate descriptus; 3) reliquæ circumstantiæ &c. comprobant. Vid. plura apud Dannhaw. *Hodos. p. 1007.* & Hotting. *in Enneade, Disfert. 3. de paradif. p. m. 77. & seqq.*

§. 2. Sive igitur de arbore, sive de fructu capias illud, quando dicitur: Non comedes תאכל perinde est. Nachman apud Fagium *Exeg. in 4. cap. Gen.* mavult ad fructum referre, similemque affert locutionem ex 2. Reg. XVIII. *Et comedat quisq; de vite sua & de ficu sua &c.* Item: *In dolore comedes eam, i. e. fructus ejus.* Res, uti dixi, eodem recidit. Neque enim de arbore, nisi mediante fructu, comeditur. Cæterum videtur תאכל per pleonasmum redundare. Verum Hebræi

Hebræi dicunt, לחופרת הביאור expositionis, declarātionis, amplificationis elegantis gratia additum esse. Abenefra putat esse insuper diminutivum, q. d. Nec parum etiam ex ea comedas. Vid. *Fag. ibid.*

§. 3. מוֹרֵי מוֹרֵי *moriendo morieris.* Morient Grammatici quidam, multum interesse, si in hac verbi reduplicatio-
ne præponatur, &, si postponatur infinitivus: præpositum
quippe certitudinem & evidentiam, postpositum vero conti-
nuitatem exprimere. Quod licet omnibus exemplis non
conveniat, annotante *Glassio Gram. Sacr. p. 310.* sufficit tamen,
quod multis aut plerisque comprobetur. Hic loci antecedit:
adeoque *ἡ Μοριendo morieris est, omnino, certissime, quin &
omni ratione horribili morieris.* Merito igitur discedendum
putamus a sententia *Stephani Curcellæi*, quam fovens in Tra-
ctatu *de jure Dei in creat. innoc. p. 120.* negat, cruciatus æter-
nos, ad quos reprobi dicuntur a Deo destinati, verbis hujus
comminationis *Adamo* factæ intelligi. Vid. *Venen. mataeol.
Armin. à me impugnatum p. 38.*

§. 4. Pœna certe rapinæ Deiformitatis, Gen. III, 5. quam
intenderunt Protoplasti (quamque Filius Dei, si non exten-
sive, tamen intensive, & per *ἰσόρροπον* redemptionis pretium,
propriam nempe sanguinem, auro & argento, tanquam re-
bus corruptibilibus, infinitis modis pretiosorem luit. Conf.
Phil. II, 6. Psal. LXVI, 5.) non mors tantum corporis, sed &
animæ est. Nec privativa modo pœna, sed & positiva illa
sit, oportet. Nempe Scriptura non modo rejectionem à fa-
cie Dei, & amissionem vitæ spiritualis; verum etiam impo-
sitionem æternorum suppliciorum intelligit, quando MOR-
TEM æternam indicat, phraseologia ex oraculo nostro Mo-
saico originem habente, prout judicat *Dorscheus Pentad.
p. 248.* Instar omnium modo expendatur locus Apoc. XX, 14.
Οὗτός ἐστιν ὁ δευτερός θάνατος, projici nempe εἰς πῦρ λίμνην &
πυρὸς IN STAGNUM IGNIS. Notamus itaque denuo *Cur-
cellæum,*

cellam, qui dixit l. c. *aliud esse mortem æternam, aliud cruciatus æternos*. Adde sis loca cætera de morte æterna Joh. VIII. *ψ. 24.* Psal. VI, 6. XLIX, 15. Hof. XIII, 14.

§. 5. Adæquatè parallela Nostro sunt Dicta Pauli Rom. V. *ψ. 12. 21.* & VI, 23. ubi per peccatum in mundum introiisse dicitur mors talis, quæ opponitur vitæ æternæ. Jam immediatè opposita immediatam inter se obtinent pugnam. E. & mors æterna ibidem intelligatur, oportet. Hæc non pœna damni modo, verum etiam sensus; non privativa modo; verum etiam positiva sit, oportet. Audit proinde hæc mors æterna ignominia æterna Dan. XII, 2. & *κόλασις αἰώνι* afflictio, punitio æterna Matth. XXV, 41, 46. utpotè quæ impiis hominibus, a Judice in ignem Diabolo atqve Angelis ipsius paratum ablegandis, destinata est.

§. 6. Quorsum hæc? Ut appareat, etsi nostram illam horribilem phrasin *τῶν τῶν* Deus ipse justissimus scelerum vindex de morte corporali ac temporali fuerit interpretatus Gen. III, 19. *Pulvis, inqviens, es, & in pulverem reverteris*; tamen idcirco sub ambitu phraseos illius mortem animæ, mortem spiritualem, mortem secundam, mortem æternam ac reliqua *μερία τὰ ἄλλα λυγρὰ, quæ καὶ ἀνθρώποις ἀλάληται*, nempe corporales, spirituales, æternas ærumnas ac misérias, vel maxime includi, contineri atq; comprehendi. Huic morti æternæ addictus mansisset Protopator, nisi per fidem in contritorem capitis serpentini ab ea foret liberatus. Nec ab ea immunis persistisset *ἡ πρωτομήτηρ*, nisi Virum Dominum, id est, Messiam *θεάνθρωπον*, Dominum suum, ac Deum suum, habuisset, possedisset, sibiq; contritionem serpentini capitis, ab eo plenissime peragendam, vera fide applicasset.

§. 7. Vti ergo phraseos nostræ de morte *σωματικῆ* explicationem explicatio ipsius Dei l. cit. confirmat; Ita stabilit eam postmodo experientia Adami & Adamigenarum omnium, in lumbis ejus contentorum, & naturaliter ab eo propa-

propagandorum. Veluti enim antiquorum sonuit Epicedium: Adamus mortuus est; Ita nunc & semper usque ad consummationem seculi idem ingeminabitur. Et si præterea non statim, cum sententiam damnatoriam audivisset, moriebatur Adamus; morti tamen illico subjectus fuit tam quæ reatum catholicum, ad omnes posteros sese extendentem, & cum moriendi necessitate conjunctum, quam quæ mortis initia, ejusdem anteambulones morbos, variasque & numero pene infinitas afflictiones. Sic ergo hic ex immortalis factus mortalis, & ex throno vitæ in barathrum mortis a Diabolo seductore detrusus est. *B. Gerhard. L. de morte §. 27.*

§. 8. Explicationem vero de morte æterna, malisque necessariam cum ea connexionem obtinentibus, præter ea, quæ §. 4. & 5. attulimus, quibus adhuc unus jungi locus potest Apoc. II, 11. mirifice dilucidat *Dorscheus* l. c. docens, in severissima Dei comminatione מוֹת מוֹת mortem animæ involvi, patere, tum ex indefinita sententia positione, quæ utur generalem & amplissimam phrasos hujus exhibeat significationem, primarium tamen vocabuli absolute positi sensum non excludat, sed includat; tum ex defectu rationis, ob quam mortem secundam ex hac sententia damnatoria excludere possimus; tum ex eventu, qui doceat, imprimis mortem æternam (puta deficiente vera poenitentia) etiam infligi ob rapinam majestatis divinæ, cujus eventus alia ratio assignari nequit.

QVEMADMODVM MORS NATVRALIS PRIVATIO
VITÆ NATVRALIS; ITA MORS SPIRITVALIS
PRIVATIO VITÆ SPIRITVALIS, ET MORS
ÆTERNA PRIVATIO VITÆ ÆTERNÆ: ITEM,
VELVTI MORS NATVRALIS SEPARATIO ANI-
MÆ A CORPORE; ITA MORS, TVM SPIRI-
TVALIS, TVM ÆTERNA, SEPARATIO ANIMÆ
A DEO EST.

§. 1.

MEMORIA-
LE (I.)
THETI-
CVM.

§. 1.

SI quis affirmare auserit, mortem esse nihil; id æque scandalosum autumo, ac dixisse, peccatum esse nihil. Cautè utique procedendum in foro Theologico arbitror, ubi sub Theologiæ Acroamaticæ usum ejusmodi termini revocantur Philosophici, qui diuturna eruditorum consuetudine triti, temporum successu catechetica induere significationem & usurpationem. Adiaphorismus quippe verbalis Theologi non debet abire in culpabilem aliquam licentiam docendi quidvis & statuendi verbis quibuscunqve, modo sensum simplicem & sanum sequare; eò, quod Apostolus non sanum modo sensum, verum etiam sana verba eorumque hypotyposin à Timotheo suo efflagitarit.

§. 2. Nec vero, privationem esse nihil negativum, sobrie philosophantes contendunt. Quin haud desunt, qui sciunt, acute distingvendum esse inter τὸ reale, & ens reale. Hoc secundum ipsos existentiam positivam importat; illud vero, tametsi nemine cogitante sit extra nihil, existentiam tamen positivam non importat. Ita ergo privationes sunt aliquid reale. Tametsi enim in formali suo conceptu & casu recto nihil includunt positivi, & per absentiam formæ oppositæ magis, quam per præsentiam formæ propriæ describuntur; nemine tamen cogitante sunt extra nihil, id quod exemplo cæcitaris in oculo ac tenebrarum in aëre luculenter patet.

§. 3. Præterea nec deficiunt, qui inter privationem propriam, h. e. meram sive puram putam, & privationem, ceu ajunt, impropiam ac positivam distinxisse noverint. Nimirum uti vel in Cimmeriis tenebris hi aliquam observant luculam: Ita nonnunquam τῆ εἰδὸς ἐν τῷ ὑποκειμένῳ πεφικότε ἀπείριαν comparative sese habere animadvertunt. Quanto v. g. in Ethicis quis longius abest à mediocritate, tanto magis ab extremo aliquo denominatur; quanto minus commercii

mercii habet cum temperantia, tanto magis intemperans esse pronuntiatur. Notum enim est, habitus vitiosos ex crebris actionibus & asvefactione parum laudabili oriri, adeoque aliquid positivi in sese continere. Sistent insuper exemplum ebrietatis, quæ non solum carentiam sobrietatis, sed & ingurgitationem nimiam importet &c.

§. 4. B. certè *Thomafius Erotem. Metaphys. p. 64.* non dubitat ita philosophari: *Si ponamus (qua celeberrimum Theologorum est sententia) peccatum non esse puram putam privationem, sed simul aliquid positivum; cum tamen nec Deus sit, nec creatura; necesse est, (modo divisionem entis in Deum & creaturam velimus esse adæquatam) præmittamus divisionem entis aliquam, quæ altero membro peccatum comprehendens, alterum membrum subdividat in Deum & creaturam.* Nimirum ens est vel substantiale sive substantia, vel accidentale sive accidens. Sub accidente peccatum est. Substantiale vero ens subdividè poterit in Deum & creaturas. Et p. p. *Accidentia non creata, sed concreata esse dicuntur, ut creatura nomen servetur substantiæ.* Hæc ille; mox tamen addens, si ens in infinitum & finitum primo dividatur, sub finito etiam peccatum comprehendere licere.

§. 5. Quid multa? Si formale mortis complete consideramus, illa perinde, ac peccatum, privatio aliqua positiva potest appellari. Nec enim tantum est *ερησις* sive absentia vitæ, sed & *ἀφύπνις* dissolutio animæ & corporis. Id quod speciatim de morte piorum evincit Apostolus, dum cupit dissolvi & esse cum Christo Phil. I. v. 23. Etsi proinde nulla mortis, tanquam privationis, sit efficacia, quæ causalitatem naturalem strictè dictam; datur tamen ejusdem efficacia, datur effectus alicujus mortis, causalitate supernaturali atque modo eminente productus: quæ ratione mors Christi a nobis habetur causa salutis nostræ. Vid. *Weissii Comp. Metaph. p. 39.*

§. 6. *Casp. Ebel. Commentar. in lib. Thomæ de ente & essentia p. m. 1443.* itidem subtiliter non minus, quam accurate docet,

B

priva-

privationem non esse purum nihil; assertumque hoc inter alia sic probat: Purum nihil est pura negatio entitatis. Privatio non est pura negatio entitatis. E. Privatio non est purum nihil. *Weissius l. c. p. 40.* ostendit, ens privativum dici posse reale quid, non positive, essentiam ponendo; sed remotive, eandem vere removendo: & quidem veritate non Metaphysica, quæ notet veritatem in essendo; sed Logica, quæ veritatem in prædicando afferat. Provocat insuper ad *Horneji Instit. Logic. l. 1. q. 6. n. 13.* Quorsum hæc? Ut tanto evidentius constet, quoniam sensu mors dicatur privatio; & ne Pontificiorum focco incedere discamus, qui contendunt, infantes sine Baptismo demortuos in limbo suo non pœna sensus, verum damni saltem, non positiva, sed privativa duntaxat affici. Ecqui enim id dici potest? Si infantes illi non baptizati sine remissione peccati originalis decedunt; tum non tantum pœnæ damni, verum etiam pœnæ sensus subiecti sint, oportet. Tum non tantum e regno Dei sunt exclusi, verum etiam infernali æternæ damnationis igne torquentur. Ratio est, quia peccati stipendium est mors & damnatio æterna; nec tantum pœnæ damni, sed etiam pœnæ sensus. Vid. Gerh. L. de Mort. §. 169.

MEMORIA- MORS NON EST CONDITIO *ἰστίας*, SED SVP-
LE III.) PLICIVM *ἀμαρτίας*.

ANTITHE-
TICVM
adversus
Pelagiani-
zantes.

§. I.

Celebris Remonstrantium Theologus, Dn. *Job. Clericus*, *Paraphr. & Comment. in Gen. fol. 28. de modo seductionis Protoplastorum per serpentem tutissimum esse putat, ignorantiam ingenue confiteri: quomodo enim peccatum in orbem ingressum sit, adeo, ut primi peccati circumstantias perspicue, & sine ulla dubitandi ratione intelligere possimus, indicare eorum esse, qui rei interfuerunt, si reviviscerent. At enimvero ubi Scriptura tam operose modum seductionis per serpentem factæ, totamque*

que ejus historiam qua tot manifestas circumstantias, qua antecedentia, qua concomitantia & qua consequentia, tam perspicue ob oculos ponit; ubi inculcat insuper, *per unum hominem peccatum introisse in mundum, & per peccatum mortem*; modum certe illum tum seductionis, tum introitus peccati in mundum satis revelavit. Videtur itaque aut titubare hic Arminianus Autor, aut ad Socinianorum vetus dictum, quod primum primi hominis peccatum non potuerit omnibus hominibus imputari, nec mortem omnibus superinducere hominibus, inclinare.

§. 2. Pelagii vetus cantilena est, *hominem fuisse moriturum, sive peccaret, sive non peccaret. Quem errorem redarguit Augustinus una cum Alipzio Epist. 106. item, ipsum fuisse mortuum non merito culpa, sed conditione naturæ: prout Idem recenset lib. de hæres. ad Quodvultd. c. 88. Succenturiatus est Pelagianismo huic Pontificius recentior D. Augustinus Redingius, Abbas Einsidensis in inextincta Concilii Trid. veritate p. 285. & seq. eoquæ prolapsus, ut statueret, sublato justitiæ originalis dono naturam humanam ita corruptioni esse obnoxiam, ut mors deinde sit effectus, non quidem positivus, sed negativus peccati originalis, quatenus removet donum, quo mors naturaliter alioquin secutura impediebatur. Effectu autem semel posito, juxta Redingium ad hunc continuandum non est necessaria semper causa, quæ illum produxit. Sic Patre mortuo filius superstes esse potest. Id hic maxime locum habet, quia mortis causa per se ipsa natura est.*

§. 3. At enimvero si mortis causa per se ipsa natura esset, siquæ homini in statu integritatis, etsi non peccasset, ex conditione naturæ fuisset moriendum; ecquæ, obsecro, Deus ipsi, etiamnum integro, potuisset comminari mortem, tanquam peccati pœnam? Id quod fecit per verba longe clarissima Sententiæ nostræ Classicæ. Quomodo comminationem hanc post lapsum demum exequi, pœnamque denuo indicere

ac denunciare Gen. III, 19. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec in terram redeas, a qua acceptus es; quia pulvis es, & in pulverem reverteris?* Probe ergo depestit Redingium Clariss. Heideggerus in *Tumulo Concil. Trid. part. prior. p. 199.* Non potuisti, inqviens, cum argumento meo, nisi Pelagianis telis, conflagere. Pelagii enim doctrina erat, mortem esse comitem & sequelam naturæ, adeoq; ex principiis naturæ sequi. Ad incrustandam hæresin vos additis, licet natura sequela sit, impediendam tamen fuisse per justitiæ supernaturalis donum: quo sublato natura vires suas exercet. Sed in re ipsa belle convenitis. Quomodo vero natura sequela est, quod solius peccati pœnam & stipendium esse, clare Scriptura Gen. II, 17. III. 19. Rom. V, 12. VI, 23. testatur? Tu autem remisso infantibus Baptismo mortem ex natura principiis, non ut pœnam peccati, utpote, non remissi, infligi, errore mere Pelagiano pertendis. Prodis deniq; tuam Dialecticæ artis inscitiam, asserens, sublata causa posse manere effectum; adeoq; etiam sublato peccato originali mortem. Canon enim ille, quod pueris notum, non de causa emanativa, qualis est causa mortem producat, utpote quæ existentia sua causat, sed de activa, quæ per motum causat, intelligitur.

§. 4. Pelagianizant insuper & papizant hic, quotquot
Infausti Fausti Socini castra sequuntur.

Catechism. Racoviensis p. m. 18: Homo natura nihil habet commune cum immortalitate; idcirco, quod ab initio de humo formatus, proptereaq; mortalis creatus fuerit. Et p. 21. Apostolus Rom. V, 12. non agit de mortalitate; verum de morte ipsa. Mortalitas vero a morte multum dissidet; siquidem potest quis esse mortalis, nec tamen unquam mori. Hac igitur est verborum, quod mors per peccatum introierit in mundum, sententia, quod Adamus ob peccatum decreto & sententia Dei æternæ morti subjectus est; proinde omnes homines, eò, quod ex eo nati sunt, eidem æternæ morti subiaceant. Et rursum p. 22. Homo (ad im-

ginem

ginem Dei creatus) *viam ad immortalitatem per se cognoscere ne quidem potuit. Homo enim animalis non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei 1. Cor. II, 14.*

§. 5. Sed enim explosi dudum a rectius animatis hi fuerunt griphi. Quod de humo sive terra maledicta formatum est, id esse mortale, conceditur. Quod vero de benedicta, negatur. Deinde ineptum est existimare, quod Rom. V. 12. non de mortalitate, verum de morte ipsa agatur. Quasi mors actualis mortalitatem sive potentiam moriendi excluderet, aut non supponeret potius. Fac posse aliquem esse mortalem, nec tamen unquam mori, ceu exempla Enochi & Eliæ id commonstrant; non tamen idcirco ψιλός άνθρωπος, qui moritur, non mortalis esse potest. Vt enim a potentia ad actum consequentia non procedat affirmative; procedit tamen negative; & ita, qui immortalis est sive mori non potest, homo nudus, etiam non moritur. Contra vero ab actu ad potentiam etiam affirmative inferimus. Ita ergo qui moritur, ceu innui, non potest esse non mortalis. Non igitur æternæ tantum morti subjectus a Paulo significatur fuisse primus Adamus; verum etiam temporali; id quod executio comminationis nostræ Paradisiacæ MORTE MORIERIS eyincit, prout Gerhardo præeunte LL. de Imag. Dei §. 100. allegavimus ex Gen. III, 19. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec in terram redeas, a qua acceptus es, quia pulvis es & in pulverem reverteris.* Misera tandem illatio est, cum animalis homo non percipiat ea, quæ sunt Spiritus Dei, idcirco hominem integrum per se viam ad immortalitatem ne cognoscere quidem potuisse. In laudato quippe loco Apostolus per hominem animaleminime gentium intelligit hominem integrum, sed corruptum, cui res spirituales stultitia sunt: nisi si absurde credideris, hominim integro, veritate, scientia & sapientia concreata pollenti, τὰ ἑ πνεύματος etiam stultitiam fuisse. Enimvero omnium ita sentientium, quod

B 3

mors

mors non sit pœna peccati, sed conditio naturæ, scopus est, enervare doctrinam de peccato ejusque abominabili effectu, extenuare amissionem imaginis divinæ; & virium naturalium superstitem in rebus spiritualibus cooperationem, nec non bonorum operum merita, in ipsum justificationis & salvationis articulum intrusâ, defendere.

MEMORIA- MORS HOMINIS NON EST ANNIHILATIO COR-
LE IV.) PORIS HVMANI; NEC RESVSCITATIO HOMI-
ANTITHE- NIS EST NOVA CREATIO EJVSDEM. ANIMÆ
TICVM VERO ETIAM IMPIORVM IN MORTE MANENT
contra SVPERSTITES ET SVNT IMMORTALES.
Socinianos.

§. 1.

Quemadmodum pulvis ille, ex quo formabatur homo, non erat nihil negativum: Ita nec materia resurrectionis ex qua nihil negativum, sed privativum erit; ceu loquitur D. Hilsemann. Brev. Supplem. cap. 16. §. 2. & 8. Constat fide divina, mortem non annihilationem, verum mortalis hujus compagis solutionem ac depositionem vocari oportere. Phil. I, 23. Prœinde arguetur inter alia Schmalcius cum affectis *α)* mortuos non esse. Jer. XXXI, 15. Matth. II, 18. Job. XIV, 10. Pfal. XXXIX, 14. Thren. V, 7. &c. Utrique non sunt mortui, scil. eo modo, quo sunt vivi, ubi esse ipsorum est esse totius compositi. Sunt tamen alio modo: Sunt cum Christo Phil. I, 23. Luc. XXIII, 43. Ita ergo à τῷ NON ESSE κατὰ τὸ NON ESSE ἀπὸ τῶν N. V. C. prout ipse etiam Enochus non fuit amplius Gen. V. 24. videlicet qua apparentiam inter homines; unde tamen haud sequitur, ipsum simpliciter non fuisse aut non extitisse amplius.

§. 2. Arguetur *β)* mortuos Deum non laudare Pfal. CXV. 17. *neg. in morte esse, qui Dei sit memor*, VI, 6. &c. Si non laudant eo laudandi modo, quo vivi; ergone omnino non lau-

laudant ? Si mortui non sunt memores Dei eo modo, quo memores sunt vivi ; ane idcirco plane non sunt memores ? *Ἀουδὸγισον*. Arguetur γ) *unum esse interitum hominum & brutorum*, Koh. III, 19. seqv. R. Necessitas moriendi, quæ homini & bruto communis est, & cujus ratione inter se a Salomone comparantur, similem mortis qualitatē, homini cum bruto intercedentem, minime omnium verò mortuorum annihilationem probat. Arguetur δ) *Deum, ut cibos, ita & ventrem aboliturum esse* 1. Cor. VI, 13. *abolito autem ventre, necesse esse, vel ipsum corpus aboleri, vel sine ventre corpus fingere*. R. Abolendus ibi ac destruendus dicitur venter non per annihilationem (de qua tamen disputabatur) verum per corruptionem ; nec ibi de ventre ratione substantiæ proprie fermo est ; sed ratione usus & indigentiae, qua is destinatus est cibis, iisdemque opus habet in hac mortali vita. Quid verò hoc facit ad astruendam corporis humani per mortem annihilationem ? Ita quærit B. Calovius *Socinism. proflig. Sect. X. Art. I. Controv. I.*

§. 3. Arguetur tandem ε) *resurgere nihil aliud esse, quam ex non existente iterum existere ; hinc resurrectionem assimilari generationi ; ac proinde corpora hæc, quæ nunc circumferimus, non resurrectura, sed alia nobis danda esse*. R. cum eodem Calovio l. c. Quod resurrectio assimilatur generationi, non favet, sed contrariatur potius Socinianis. Aliud nimirum est corruptio generationi opposita ; aliud annihilatio, quæ opponitur productioni ex nihilo vel creationi. Secundum Socinianos ergo resurrectio dicenda foret creatio, non vero generatio : quanquam nec generatio vocetur, sed *παλιγγενεσία* regeneratio Matth. XIX, 28. qua intelligitur non corporis novi productio, nedum e nihilo creatio, sed totius naturæ nostræ spiritualis instauratio, per quam peccatum & mors penitus abolebuntur.

§. 4. Quid

§. 4. Quid multa? Scriptura certe Mosaica, quando sententiæ nostræ Classicæ executionem tradit, aperte testatur, in pulverem reverti corpora nostra, quæ sunt pulvis. At enim-vero longe aliud est reversio in pulverem, aliud annihilatio. Quid enim? Numquid idem est redigi in pulverem, & redigi sive abire in nihil? Ecquis obsecro pulverem vocabit nihil, aut non ens? Accedit effatum Salomoneum, idque longe notissimum: *Pulvis in terram revertetur; spiritus autem redit ad Dominum, qui dedit illum.* Ubi iterum reverti in terram; & reverti in nihil, minime omnium coincidunt; quandoquidem terra non est nihil. Reddentur quidem nobis alia in resurrectione corpora 1. Cor. XV, 53. & seq. non tamen εἰσίας sive substantiæ, sed ποιότητος sive qualitatibus ratione alia: quandoquidem τὸ Φθαρτὸν τῷ hoc ipsum corpus, quod corruptibile est, incorruptibilitatem; ac τὸ Θνητὸν τῷ hoc ipsum corpus, quod mortale est, immortalitatem tunc induet. l. c.

§. 5. Nec diversum evincit Schlichtingius, Comm. in 1. Cor. XV, 50. Tom. II. Op. p. m. 89. urgens, *naturam carnis & sanguinis non ferre, ut regnum Dei hereditate possideant.* Etenim Apostolus h. l. carnem non Physice, sed Ethice considerat, prout nimirum peccato vitata est; quo sensu vox illa extat Joh. III. ̄. 6. Nec obstat, quod porro urget p. 90. & 115. *corpus sic absorptum, nosq. domicilio cælesti superindutum iri, si terrestris nostra domus tabernaculi dissolvatur, ex 2. Cor. V, 4.* Neque enim absorptio h. l. substantiæ annihilationem, sed tantum immutationem notat; ac præterea per cæleste domicilium l. c. non corpus, sed cælestis beatitudo intelligitur; utpote quam tum ingrediemur, destructo tabernaculo terreno, cum non amplius peregrinabimur, sed erimus apud Dominum, ̄. 8. Hæc de περὶ λογία annihilationis corporum, quam hæreticorum exulceratissimi somniant.

§. 6. Sed & impiorum animas in morte superstites manere, ac immortales esse, iidem inficiantur. Delibare instar omnium

omnium unam ex objectionibus, quas operose quidem strinxerunt alii, jam certum est. Quod nimirum attinet ad locum, executioni sententiæ nostræ Classicæ respondentem Koh. XII, §. 7. *Pulvis in terram revertetur; spiritus autem redit ad Dominum*; cum per mille fere mæandros fraudesqve flexuosas, ut cum Prudentio loquar, invertere annituntur; inter alia blaterantes & hoc, tam impossibile esse, ut hic locus Salomoneus de immortalitate animæ agat, quam impossibile sit, ut impiorum animæ ad Deum redeant. Quasi vero impiorum animæ non redeant ad Deum, utut non tanquam ad benignum Patrem & remuneratorem gratiosum, tamen velut ad justum judicem scelerumqve vindicem; cujus coram iudicio, quod vocant, personali in ipsa solutione a corpore, & mutatione status hujus vitæ cum statu æternitatis, utiqve consistentur.

§. 7. Cæterum num immortalitas & incorruptibilitas animæ ex lumine naturæ, num vero ex lumine revelationis patefcat, varie disputatur a variis. Nobis haud displicet conciliatio & amica compositio sententiarum a B. D. *Alberti* tentata, in *addit. Kromayer*. p. 590. distingvendo nimirum hic inter duplicem animæ nostræ exemptionem a corruptione. Alia est ab intra, quam ex lumine naturæ in omni spiritu, adeoq; etiam in anima nostra, cognoscere possumus. Quæc. enim substantia non habet in se principia pugnancia, ea ab intra est incorruptibilis. A. Spiritus immaterialis. E. Alia est ab extra, eaqve vel respectu inferioris, vel paræ, vel superioris. Primam & secundam iterum ratio, tertiam sola revelatio manifestat; quia pendet a liberrima voluntate Dei, de qua, nisi per ipsum, certiores fieri non possumus. *Quodsi Psychologiam cum aliis jam in actu signato, jam in actu exercito instituere lubeat; illo modo animæ immortalitas ex lumine natura probabitur; hoc modo non item.*

MEMORIA-
LE V.)
DIACRITI-
CVM
de bismor-
tuis.

VERISIMILIOR OPINIO FERT, BIS MORTVOS VE-
RE BIS FVISSE MORTVOS, VERE ΔΙΑΘΗΚΗΝ ΤΗΝ
ΑΠ ΑΙΩΝΟΣ VEREQVE DECRETVM DEI DE MOR-
TE, PECCATI OBS ONIO, ITERATA MORTE
EXPERTOS.

§. 1.

NON jam nostram faciemus curiosam istam & ab aliis ve-
xatam quæstionem, ubinam anima bis mortuorum fu-
erit? Num in purgatorio? Fabulæ. A genere ad speciem
affirmative concluderet, qui ita concluderet: Si anima bis
mortuorum in loco sive πᾶ aliquo tertio, præter cælum &
terram dabili, fuit. Ergo in purgatorio fuit. Præterea
distingvimus inter situm & statum. Potuit esse in cælo qua
situm, utut ibi non esset qua visionis beatificæ statum; quem-
admodum de Paulo novimus, quod fuerit in Paradiso, qua
situm, ubi nempe audivit ἀρρατε ῥήματα; licet haud legamus,
quod ibi fuerit, qua statum hunc, quo ipsum clare viderit
Deum. Num igitur in ipso corpore? Huc inclinat B. Dann-
hauer. Mem. Evangel. p. 714. Wie / wann die Seele noch in ih-
me (dem Jüngling zu Nain) geblieben / localiter, aber doch nicht
entelechioliter, wie in der Historie des Christlichen Jünglings
Eutychi Actor. XX, 10. geschehen / von dem / unangesehen er vom
Götter herab gefallen / Todes verblieben / St. Paulus bejahet /
seine Seele sey noch in ihm / doch ohne Influenz und Wür-
kung / müßig.

§. 2. Alii, inter ἐνώπιον sive existentiam, & unionem
sive informationem animæ hic distingventes, eodem respi-
ciunt, arbitrati, eam potuisse suam obtinere ἐνστίαν sive in-
existentiam in corpore, tamen non retineret ἐνεργεῖαν, neq;
uniretur cum corpore; actu entitativo in corpore potuisse
gaudere, quantumvis actus ejusdem corporis formalis non esset.
Cui quidem sententiæ subscribi facile posset, nisi retraheret
mentem ab assensu Petrina phrasis, 2. Epist. I, 14. qua mor-
tem

tem

tem *δοθήσειν τῷ σκηνώματι* ⊙, depositionem habitaculi, appellat. Neque enim habitaculum deponitur, in qua hospes adhuc est, sive inexistit. Taceo, proferri tum hæc verba de Eutycho, cum Paulus ipsum complexus erat, & spiritus ipsius redierat. Labet ergo Taubmannianum istud huc accommodare:

*Quicquid non docuit patrii sapientia cæli,
Æquo animo nescire homines, inscitia docta est.*

§. 3. Istud autem nonnulli concedere nolunt, quod bis mortui, de quibus in præsentī agimus, iterata vice naturæ solverint debitum, ac revera bis sive altera vice post corporum suorum demortuorum resuscitationem, fuerint mortui; verum hos, expleto vitæ curriculo, vivos in cælum migrasse existimant. Provocant ita animati a) ad tritum istud epistolæ ad Hebræos cap. IX, 27. *Statutum est hominibus semel mori; posthac autem iudicium.* Verum de ordinaria naturæ via dictum istud est intelligendum, cum extraordinarius hoc loco casus, a mirabili dispensatione atque omnipotentia divina pendens, in quæstionem veniat. Urgent β) Pontificios hoc pacto suum purgatorium contra nos feliciter defensuros esse, quoties ipsis laudatam Epistolæ ad Hebræos sententiam opponimus, ita ratiocinando: Si statutum hominibus est semel mori, seqv. hominem non bis mori, semel ex hac vita discedentem, & semel ex igne purgatorii eluctantem. Enimvero negamus hominem in purgatorio mori secundo posse, cum negemus ipsum purgatorium, idque cum negante & ignorante istud Scriptura.

§. 4. Instant γ) justitiæ divinæ hoc adversari, ut semel passi mortem denuo eam patiantur. Decretum enim antiquum ac *Μαθήνη ἡ ἀπ' αἰῶν* ⊙, *Quoc. die comederis ab arbore scientiæ boni & mali, morte morieris* unicum, non geminam infligere peccatori mortem videtur. Et qui mortuus est, a peccato justificatus i. e. liberatus dicitur Rom. VI, 7. Cæterum

velut in Paulo post raptum in tertium cœlum (anno conversionis suæ circiter octavo factum, *Baldwin. ad 2. Cor. XII, 2.*) etiamnum habitavit peccatum Rom. VII, 18: Ita quoque in resuscitatis a morte temporali peccatum, ut non regnans, tamen inhabitans superfuisse probabile est. Si autem peccatum; E. & obsonium peccati mors. Alii addunt, liberationem omnimodam a peccatis consistere in cinefactione; quæ cum ipsorum corporibus defuerit, igitur a peccati veneno nondum fuisse mundata. Ergo mansit obsonium peccati mors. Ab hac liberati fuere eatenus, quia morte secunda damnati non fuisse pie creduntur. Accedit, quod nonnulli inferunt, Lazarum potuisse occidi Joh. XII, 10. E. & mori. Epicrisin autem lectoris periclitari juvat, num hæc stringat probatio. In utramque videlicet partem hoc thema disputari consuevit; siquidem nec de iterata morte, nec de metathesi ipsorum clara extat verbi divini revelatio. Vid. quæ cum *Meisnero* doceat *Friedlib. Medull. p. 1233.*

MEMORIA-
LE VI.)
NVTHETE-
TICVM
&
PARÆNE-
TICVM.

HÆC DE CERTITVDINE ET CONDITIONE MOR-
TIS DICTA PENSITANTES HABEMVS, QVOD
SIRACIDÆ NVTHESIAM, QVA AD *ἐνθανάσιον* HO-
MINEM DEDVCIT, PRO EO AC DEBEMVS, SE-
QVAMVR.

§. I.

Effatum certe insignis hujus Moralistæ, cui Ethnicorum nemo venit comparandus, extat capite 14to panareti, versu, ceu Græca editio exhibet, 14to, ceu Germanica, 18vo: *Ἡ γὰρ ἀθανάσιον ἢ αἰὲν αἰώνιον, θανάτω δότο θανῆς*, h. e. ex versione *Matthiæ Bergii*: *Hoc est ab orbe condito constitutum: Morte morieris; ex versione Junii: Nam hæc constitutio est inde a seculo: omnino morieris;* unde hujus dissertatiunculæ epigraphen mutuati sumus. *A seculo*, id est, inde usque a diebus priscais & annis antiquis, ceu idem *Junius* reddit Mal. III, 4. Luth. *Es ist der alte Bund: Du mußt sterben.* *Διὰ θύνην* hanc
Are-

Aretologus versu antec. 9. vocaverat *Δαθήκην ἄδα*, pactum *sepulcri*. Luth. vertit einen Bund mit dem Tode. Quæ designatio emphatica contractibus Ethicorum involuntariis respondet. Convenerat nempe Creatori cum homine, fore, ut is, cum primum ab arbore vetita fructum auferret, moreretur. Comedit homo: transgressus est legem Dei positivam universalem. Moriendo igitur τῇ Δαθήκῃ τῇ ἀπ' αἰῶνⓄ satisfacere cogitur. Ita τὸ ἀπ' αἰῶνⓄ non idem, quod ab æterno; sed idem, quod ab ἀντίκρῳ, a seculo, aut a mundo condito, valet Luc. I, 70.

§. 2. Parænesis ergo Siracidæ tergemina est *ψ. 13.* nempe 1) *sumendum*, 2) *dandum*, 3) *animam sanctificandam esse*. Ad *sumendum* ita hortatur, *ψ. 9.* Τέκνον, καθὼς εἶν ἔχης, εἰ πῶς σεαυτῷ, *Fili, pro eo ac habueris, benefacito tibi ipsi*. Et *ψ. 11.* Μὴ ἀφυστήρης δὸν ἀγαθῆς ἡμέρας, καὶ μερὶς ἰπτιθυμίας ἀγαθῆς μὴ σε παρελθέτω. *Ne defrauda te die bono, & pars cupiditatis bone ne prætereat te*. Attegit rationem consilii non spernendam, & per modum interrogationis Rhetoricæ τῆς ἐμπειρίας informatam, ajens *ψ. 12.* Οὐχὶ ἑτέρῳ καταλείψεις τὰς πύνας σε, καὶ τὰς κόπυς σε εἰς διαιρέσεις κλήρας; *Anne non alteri relinques labores tuos & fatigationes tuas ad divisiones hæredum?* Satius itaque esto, hominem, cui Deus ἰσχυρῶς admensus est, frui cum αὐταρκείᾳ opibus ex alto concessis, quam easdem ridenti sæpius & ingrato relinquere hæredi.

§. 3. Ad *dandum* porro feliciter morituro *ψ. 10.* hunc subjicit igniculum: Πρὶν σε πλευθῆσαι, καὶ πῶς φίλῳ, καὶ κατὰ τὴν ἰσχύω σου ἐκτεινον, καὶ δὸς αὐτῷ. *Præquam moriaris, benefac amico, & beneficium extende secundum vires tuas, & da illi*. Favores ampliare jubet Siracides, & beneficentiam continuare. Ita nempe famæ, quæ cum vita pari passu ambulat, consulitur: Ita vivit post funera virtus: & ita Viri liberalis, qui juxta tritum sermone proverbium non fecerit Syllogismum, defunctus nomen deportat.

C 3

§. 4. Præ-

§. 4. Præcipuum, quod ad beatam vitæ clausulam deducit, sanctificationem animæ vocat; *ψ. 9.* Προφορὰς, inqviens, *Κυρίῳ ἀξίως προσέταξαι*, oblationes adduc Domino, ut dignum est. Loquitur ad genium sui temporis, quo sacrificia etiamnum pars præcipua cultûs Levitici, Deo placentis, erant. Et certe quando *ψ. 13.* hanc sanctificationis causam adducit, *ὅτι οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ ζήτησας θεοφιλῶ*, nam in sepulcro non est, quod victum requiras, ad convivia τὰ ἱερογλυκὰ, quæ nempe sacrificiis, precibus, cæterisq; cultûs partibus Patres V. T. junxere, sine ulla dubitatione digitem intendisse videtur.

§. 5. Utiqve hac animæ sanctificatione opus est monituro, ut Deo hanc hostiam gratiosam (id quod Apostolus Rom. XII, 1. de corpore monitum voluit) in manus tradat. Sanctificatio ista separatio à mundo est; quando meliorem hanc nostri partem, exuviarum ad instar, è conflictibus hujus seculi, ubi docente Cypriano *in Serm. de mortal.* inter gladios Diaboli stamus, deportamus. Offeramus itaqve mature sacrificium fidei, pietatis vitæqve integritatis, ut si *Διαθήκη τῆ ἀποκρίσεως* nobis satisfaciendum, si lex universi servanda, naturæqve corruptæ ac maledictæ solvendum debitum est; tamen etiam altera *Διαθήκη ἢ ἀποκρίσεως*, pactum quippe Evangelicum de Semine mulieris, Christo, Filio Dei, caput serpentis conterente, opera Satanæ mortemq; ipsam solvente, destruente, vincente nobis in vera fide ad extremum usqve halitum potenter succurrat.

§. 6. Id nimirum si faciendum nobis putaverimus, en! constitutio a seculo sive pactum mortis Paradisiacum non tantum admonitioni, sed & solatio nobis cedit. Mors nimirum ita nobis non erit mors, sed placidus quidam somnus, sed cessatio malorum, sed transitus ab hac mortalitate ad veram vitam. Eja! Comminatio Paradisiaca MORTE MORIERIS interveniente vera pœnitentia in consolationem Paradisiacam & Proevangelicam, quæ de Semine mulieris, caput

caput mortiferum Serpentis contrituro, mortisq; victore agit, omnino transmutabitur. Et ita mors piorum pretiosa in oculis Domini non amplius pœna peccati, sed castigatio, sed probatio, sed commonefactio erit. Esto: sit pœna, qva rem; non tamen erit pœna qvâ definitionem rei; sit pœna, qva materiale, qvatenus agre facit carni; non tamen erit pœna qva formale. Esto: Patiantur pii mortem, quam meruerunt; non tamen eandem (interveniente resipiscencia & peccatorum, adeoque & pœnarum, qvas peccata meruerunt, omnium remissione) qvatenus meruerunt, patiuntur.

*Fac mea, sancte necis victor, dulcissime JESU,
Mors propter mortem non sit amara Tuam!*

SI diligenter horridæ
 Consideres imaginem
 Mortis, Plato summum bonum
 Hoc optimam scientiam
 Sophiæqve censet verticem.
 Sed est venenum subdolum,
 Quod ecstases in impias
 Fraudesqve Dæmonum rapit.
 Tu doctius, Tu verius,
 AMMON, necis novissima
 Meditare fata. Gratulor,
 Precatus, ut vivas bene
 Feliciterqve finias!

*Pereximio, Industrio & Benefactorum
 indulgentia dignissimo DOMINO
 RESPONDENTI sic applaudebat*

PRÆSES.


Certè,


Certe, crede mihi **AMMONI** carissime! nunquam
 illo cum dicto mens erit una mihi:
Tantum quisque sua novisse in mente putandus,
 quantum exserta aliis voce referre potest.
Sic olim immerito priscorum censuit etas;
 immerito multa sic hodieque putant.
TV parvi facias illorum suspicionem
 incertam: quoniam hac fallere saepe potest.
Laudo ego, quod tentas doctrinae prodere signum;
TE, laudo, ingenium velle probare **T**VVM.


Ita
 Amico suo suavissimo
 applaudebat


Joh. Sebast. Stedlerus,
 Svobaco-Francus.














the scale towards document

respicit, Tota, inquit, questio est de loco posite-
 quem ad Eliam illum veterem Thesbiten spectat
 unt LXX. Interpp. Verterunt enim: Ecce ego mitto
 biten &c. Idem plerique sanctorum patrum, sacre
 retum tradunt, ut videre licet apud Riberam ad
 vocat ad Versionem Græcam, in qua pro Ηλιας
 am Propbetam, multis retrò seculis legebatur,
 du, Eliã Thesbiten. Unde Cyrillus Alexandrinus
 Ημερότατ, η ανεξικακίας θεω, η η Ηλιας ημιν
 ευκαλίμψα καὶ α καιρῶς, ὅτε παρίσταται λοιπὸν ὁ κερ-
 τας τῶ οικουμένου προαγγελιδοντα. Argumentum
 tolerantia Dei, quod Elias Thesbites quoque nobis
 urus est, qui omnibus mortalibus affuturum judi-
 Licet verò non tàm ipsorum Interpretum,
 γεαφόντων culpà vox Θεσβιτης Versioni illata
 uippe quæ, teste ipso Cornelio à Lapide, in codi-
 reperitur, in Regia editione non item; factum
 t, ut ille error ad Græcos primùm Patres, dein-
 & tandem totam Romanam Ecclesiam manâ-
 nymus in eandem sententiam à Pontificiis alle-
 Comment. in Matth. XI, 14. ita scribit: Sunt, qui
 nnem Eliam vocari putant: quòd quomodo in se-
 is adventu juxta Malachiam processurus est Elias,
 dicem annunciaturus: sic Jobannes in primo fece-
 it nuncius vel primi adventus Domini, vel secunds.
 Matth. XVII, 11. Ipse, inquit, Elias, qui venturus est
 ator adventu juxta corporis fidem, nunc per Jo-
 n virtute & spiritu. Cœterùm etsi illum com-
 i addictum fuisse, ex allatis verbis colligant,
 ò tamen quæritur, cur Pater sanctitate venera-
 nt. ad Mal. IV, propria nempse sede dogmatis de
 dem non asseruerit? Ibi enim hæc verba legun-
 omnius in Elia omnium Propbetarum chorum, qui
 consuer-

43